





9  
1703, 3 Ec. 2a St. 3

J. J. Pub. 20. num. 29.

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**PRIVILEGIIS MISERABILIJ PERSONARUM  
RATIONE FORI**

*Intuitu Tit. C Quando Imp. inter pup. Viduas, sqq;  
quam auxiliante DEO  
elaboravit, &*

*Rectore Acad. Jen. Magnificentissimo  
Serenissimo Principe juventutis,*

**DN. GUILIELMO HENRICO**  
Sax. Jul. Cliv. Mont. Angr. &  
VVestph. Duce,  
SUB PRÆSIDIO

**Dn. ADRIANI BEIERI, D.**  
Pand. PP. Cur. provinc. Facult. jur. &  
Scab. Assessoris  
amicae Dnn. Commititonum ventilationi  
d.j. Martii 1703, proposuit



**JOH. DANIEL LOEPER.** Stargard-Pomer.  
A. & R.

---

JENÆ, Literis MULLERIANIS.

PRIVILEGIIS MUS  
RADIUM PERSONARUM  
RATINGEN DOR

Rosae Regiae Leon. M. Regis contulit  
Dn. GUILIELMO HENRICO  
Dr. ADRIANI BEIERI D.  
Joh. DNI. ET. THEOD. STELLA. Pomer.

Principes MATHIAS

**VIRO**  
*Nobilissimo, Consultissimo, Amplissimo,*  
**DOMINO**  
**JOHAN. LOEPERO. J.U.D.**

Assessori Scabinatus Regii per Pomer. ulterior.

*Parenti Carissimo,*

Eique omni pietate prosequendo,  
*Vitam & Felicitatem.*



IRCUMSTANT me  
maximæ rationes, cur  
hoc primum ingenii  
mei monumentum,  
quod hac in academia,  
illustri virtutis ac sapientiæ officina  
publicavi, NOMINI TUO vene-  
rando inscribam, TIBIque dicem il-  
lud, consecremque. Præter enim  
quam quod me omni cura & sollici-  
tudine educandum curasti, nihilo  
misisti interjecto tempore, quod ad  
boni moris culturam faceret. Quæ  
ego omnia, si apud animum propo-

no, propono autem quotidie, pro iis  
satis dignas gratias agere habereque  
nequeo. Ita vero subministrasti mihi  
semper, PATER venerande, per quæ  
sine mora & impedimento potui la-  
pientia studiis operari: atque hac in  
re existimo me præ aliis felicem, qui  
mortibus suorum facti miserabiles,  
& hæc & illa sentiunt, quibus in cur-  
su liberali sufflaminantur. Ac post-  
quam de voluntate TVA ad acade-  
miam proficiisci jussus sum, in ani-  
mo nullo non tempore habui præ-  
ceptiones TVAS amantissimas, fi-  
delissimasque; ut videlicet à Numi-  
nis æterni cultu virtutis, doctrinæq;  
sinceræ rationem haberem. In ci-  
tatus igitur pietate admonitionibus  
TVIS reliqui locum, & audivi hic  
loci Doctores, & Professores, quo-  
rum opera majorem capeſſerem in-

genii

genii cultum, proficeremque in dies ad meliora. Neque vero non DEUS secundavit coepita mea innoxia, atque eo progressus sum in notitia ut conscribere & publice habere potuerim præsentem, quam exhibeo, dissertationem. Itaque observatione rogo & oro, ut eam sereniore fronte recipias, habeasque loco pietatis, quam TIBI pro innumerabilibus beneficiis debeo. Neque ego aliquid efficere potuissem, nisi TIBI obtemperavisssem, Tuq; mea sublevasses studia. Qua de causa TIBI per omnem meam vitam debendi reus sum ; & cum nihil opis meæ est rependere, pium & devotum animum offero, quo adquiesces pro paterno amore & humanitate. Ego vero DEUM, cui anima tua curæ, cordique est, continen-

ter implorabo, ut TE servet, & cœ-  
ptis TUIS adnuat, ut in incremen-  
tum communis egregii, nostrorum-  
que commodum conficias singula.  
Ita cum nostris TUAS vita & valetu-  
dinis prosperitate lataabor, & DEO  
clementer adjuvante, TUOq; con-  
filio & auxilio perducam mea studia  
ad optatum finem, ut percipias inde  
gloriam & voluptatem. Vale, Opti-  
me Parens, & me porro ama. In Aca-  
demia Jenensi a. d. XXXI. mart.  
MDCClll.

*Venerando Nomi ni TVO,*

*omni pietate addic tissimus*  
*filius*

J. D. L.

**D**um scandit Themidos LOOPERUS docta theatra,  
Ingenii monstrat, munera rara sui.  
Perge viam, largas magno cum fano me messe,  
Spondeo, successus prosperet alma Trias.

fausta gratulationis ergo Nobiliss.  
Dn. Resp. posuit hæc

PRÆSES.

**D**es Adlers munter Flug so ihn zur Sonne führt/  
Bemerket Sein Geschlecht, daraus er ist gezeuget:  
So wird ein edler Geist auch durchs Gebüsch gerühr't/  
Dass Er zum Ehren-Licht durch Tugend aufwerts steiget.  
Diss legt / Hochwehrtester sein Bey-Spiel deutlich fürz/  
Des ehrenren Vaters Ruhm will Ihr zur Fölg' entzünden/  
Drun doppelt sich sein Fleiß und heisse Kunstbegier/  
Dass Er auch kann die Bahn zur Ehren-Sonne finden,  
Nun heute sieht man Ihn sich schwingen schön hinanz/  
Da er mit guten Lob kam auss Catheder gehen;  
Wir sehen diese That bereits als Vorspiel an/  
Wie Er bey Themas Licht bald wird in Purpur stehet.

Mit diesen wolte seinen Hochwertheisten  
Herrn Commensali bey seiner rühmlich  
gehaltenen Disputation seine Freunde  
unter aufrichtigen Glückwünsch begegnen

Augustus Bohse. Lic

**D**ie Tugend zeiget sich durch Werke/  
Und ihr beliebter Strahlen-Schein  
Kan niergends so verborgen seyn/  
Dass man nicht ihren Fleiß vermerke/  
Sie dringt hindurch zur Burg der Ehren/  
Und Fama muss ihr Lob vermehren.

Hochwerther seines fleisses Proben/  
Die legt Er heute glücklich aus/  
Man spürt seine Tugend draus/  
Und kan das Werk den Meister loben:  
So müssen dann des fleisses Saaten  
Zur Ehren-Erndte wohl gerathen.

Zu Bezeugung seiner Schuldigkeit gratuliret mit  
diesen wenigen seinem Hochwerthen Freunde

Adam Caspar von Wolde. Nob. Pom.  
Opponens.

*I*n genii vires que sunt, que sit tua virtus  
Mentis, sat clare lingua manusque probant.  
Personis miseris sua dum specialia monstras  
Jura, quibus gaudent Judicij intuitu.  
Hinc meritas laudes prostant, ac omnia læta,  
Serto cingentur tempora spe breuius!  
quod solet, egregio specimini Nobilissimi Dni  
Læperi, Fautoris sui astutissimi, pauculis  
hice applaudens

Caspar Gideon de Lettovy.  
Opponens.

*E*st specimen doctum, quod prebes, Dulcis Amice  
Talia proponens, quævis miseranda cohors,  
Gaudet, & assidue semper sua jura tuetur,  
Cum vocat ad lites, actor avarus eam.  
Hæc solidè tractas, stipatus legibus almis,  
Eruis & nostro, tradita jura foro.  
Mæcte animo cupido, studiis benedicat JOVA,  
Ut tandem Patriæ, commoda multa pares.  
Exemplum sequitor clarum PATRIS VENERANDI  
Sic Tua sedulitas, præmia digna feret.  
*E*xigua hæc, in honorem Nobilissimi Domini Re-  
spondentis, Fautoris & Amici sui astutissimi,  
addere soluit, debuit,

Johannes Samuel Hering. Stargard.Pom.  
Opponens.

## PROOEMIVM.



Ecebat nimirum ea quæ in fine quoquo negotio sunt palmaria, non inter cœtera atque obiter quasi recensere, sed si non seorsim planè, primò tamen ponere loco. Atque egerunt hoc Decemviri novo Codici faciendo ab Imperatore Justiniano præfecti, quando Constantini Imperatoris constitutionem ad Andronicum quandam anno à nato Christo DXXXIV, ingratiā viduarum pupillorum aliarumque miserabilium personarum emissam; minimè sanè prætereundam; cùm potuissent generali de Legib. & Constitutionibus inferere Tirulo, tanquam specialem: aut sub rubrica de Judiciis ponere tanquam fori privilegiati: Distinctam, eamque peculiarum construere maluerunt inscriptionem: Quando Imperator inter pupillos vel viduas, vel alias miserabiles personas cognoscat: & Ne exhibeantur. Ex quo igitur tempore hoc quadragesimali de Viduis, pupillis, virginibus, oblessis, mutis, surdis, famelicis tractatur in Ecclesia, nec verò malè agat quisque ad suam simul professionem si respectum habeat: placuit, quando publicò aliquo specimine Patronis atque Parenti studiorum reddere rationem debeo, de Miserabilibus personis scriptum aliquod elaborare. Deus ceptis annuat.

A

Pars.I.

¶ (2) ¶

## Pars. I. analytica.

Th. I.



Itulus modò nominatus ordine est quartus decimus libri tertii Codicis , cuius partes sunt Rubrum atque nigrum : Illa , paulò prolixior , integrum conficit enunciationem ; diversa inde à plerisque cœteris ; quarum aliquæ unicæ constant voce , de Pactis , Usufructu , Sponsalibus , Interdictis , Furtis & aliis plurimis : Aliæ , plura quidem connectunt vocabula , sic tamen ut nullam efficiant enunciationem ; de Lege Aquilia . de Religiosis & sumptibus funerum . Mandati vel contrâ . de Juris & facti ignorantia . Rursus aliæ completam quidem efficiunt enunciationem , sed indefinitam tamen , neque negantem quidquam aut affirmantem : ut illa : De his qui non impletis stipendiis sacramentô soluti sunt : & pleraque interrogativè conceptæ : Quid juris , si post alienationem feudi Vasallus id recuperaverit ? An Agnatus vel filius defuncti possit retinere feudum , repudiata hereditate ? Quædam denique aliquid certi desinunt , sed iterum aliæ præcipiendo : Ut actiones ab heredibus & contra heredes incipiант . Ne fidejussores vel mandatores dotium dentur . Nostra hæc ex diversis viderur composita ut partim indagativa sit : Quando Imperator cognoscat : partim prohibitiva : Ne exhibeantur .

Th. II.

Pars nimirum anterior non tam definit casus , quibus Imperator pro tribunali sedeat ; aut personas , quas ad

¶ (3) ¶

ad audiētiā seu admittat seu trahat : quām indagare, jubet, aut certe, observare causas atq[ue] Partes : Quād imp. inter pupilos vel viduas vel alias miserabb. personas cognoscat. Posterior autem rotundē definit Prohibendo : Ne evocentur ; è suo nim. domicilio atque foro ad superius aliud. Atque ut in pauca contrahamus, Thema est de miserabilibus personis & foro earum competente, idque cūm active ; quōd sortiantur istud in prima mox instantia coram ipso Imperatore ; dum animadvertisimus modò, Quando id fiat : iis nim. petentiis : tum passivè, sed negativè ; Ne evocentur, scil. præter suam voluntatem.

Th. III.

Est igitur & Nigrum bipertitum : anterior pars ordine inverso incipit à membro rubricæ posteriori, de miserabilibus personis extra forum ordinarium non evocandis, ac vicissim per binas theses ostenditur his quibus lis est cum personis miserabilib[us], quid habeant Omitendum, & qualiter habendi sint, quando eas in prima statim instantia trahant ad supremum Imperatoris tribunal ; Ut nempe ferant repudium, processus illis ibi denegentur, nec compellantur miserabil. personæ ibi comparere. Contrà, quid Agendum habeant ? Id videlicet, quod actor quisvis alius, quem sequi oportet forum Rei, idque ordinarium. Posterior pars demum personis miserabilibus privilegium impertit positivum, primæ coram ipso statim Imperatore instantia ; tum, quando ipsæmet illæ prætensiones habent adversus alios : tum, quando à suis conveniuntur adversarii, & quidem in foro ordinario, ut privilegium hoc in exceptionem allegent;

A 2

sub

¶ (4) ¶

Sub declaratione, si alicujus Judicis credo, an adversarii perhorrescant potentiam: sic, ut illis gratia hæc non obtrudatur inyitis: alioquin non beneficium foret, sed onus.

### Pars secunda, Synthetica.

#### Th. I. Etym.

§. 1. Quoniam tamen Imperator Pupillis atque Viduis non ita temerè atque absolute, verum sub certa consideratione, tanquam miserabilibus, atq; adeò non his solis verum alii ejusdem generis gratiā voluit concessam; agè, consideremus hasce inabstracto! MISERABILIS à miser paulo derivatur remotius ac per saltum, intercedente verbo Miseror quod affectum habet actuum; significans Verbis aut lacrimis vel ipso etiam opere quopiam, accursu, manūs porreptione, aut adminiculi præbitione dolorem, quem ex alicujus miseria concipimus ostendere: & construitur cum accusativo: sic Cœsar, bellò Gall. Abditi in tabernaculis, inquit, aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis cōmimunc periculum miserebantur; h.e. deplorabant. Græci δικτερού, commiseratio: Miserabilis ergo est misericordia dignus, sive, per quem alii misericordiā cōmoventur: ὑπέρ. Miserabilis quasi miseria habilis. Rebuff, Tr. de Sent. provis. art. III. gl. ult. n.16.

§. 2. Miserabilis contrà non actiè sumitur, quasi Misera scens, sed deponentis more, statum illius denotat, qui miserationem aliorum meretur: Aut si maxime quid agit, vel tacendo movet ad cogitandum humanam miseriām; ac, dum homines sunt & ipsi, humanum nihil ab se alienum esse putandum: quod igitur accidisse

vi-

vident aliis, cogitent, potuisse quoque contingere sibi ;  
quodque tum velint sibi fieri, statuant nunc in aliis.

*Th. II. Homon.*  
Accipitur vox Miserabilis dupliciter : ac primò latè ac vulgariter ; & sic quilibet qui miser est, est quoque miserabilis : deinde stricte & juridicè : & tunc is deum miserabilis , qui dignus commiseratione juxta legum præscripta judicatur. Differunt itaque Miser & Miserabilis, ut excedens & excessum : Neque verò ut Miser est quisquam in se : ita confestim & Miserabilis aliis : comprimis ubi ipse malum suò sibi attraxit jugo : prout pluribus patebit infra in Divisionibus. confer. interim Sigism. Scaccias, tr. de Appellat. Lib. VII. n. 135. fol. 77. a.

*Th. III. Synon.*  
Misgr aliquando ponitur pro Aegroto : Nam ægritudo genus est infelicitatis. Plautus in Pænulo : Miserram esse prædicat buccam : Fortasse Medicos nos arbitratur. Interdum idem est quod Innocens. Cicero pro Milone : Miseros interdum cives optimè de Republica meritos : & tales intelligunt jura propriè. Generatim Aerumnosus, calamitosus, Infelix, Flebilis. Græc. ἀθλος, δύσηνας. Ovidius in Ibis.

Sisque Miser semper; ne sis Miserabilis ulli.  
*Th. VI. Descriptio.*  
hunc §. 1. Fluit ex prædictis, qualiscunque delineatio personæ Miserabilis; quod sit Homo in eo statu positus, quo exemplo sit aliis infelicitatis humanæ, moveaturque quivis alias ex pietate, pro sua conditione illum sublevare.

A 3.

§. 2.

¶. 2. Est nim. Miserabilis, Ens per accidens, consistens in Supposito, tanquam sustinente, sive substantia; & conditione, seu habitudine atque statu; separabili tamen ac superveniente: certè, quæ ad substantiam non pertinet: perinde ac si dicas Ægrotus, Medicus, Miles, Consul & ita porro. Quod si enim per Naturam, essentiam ipsamque adeo necessitatem ita esse oporteat, Nemo foret, qui eo tanquam insolito moveatur ad condolendum.

¶. 3. Miserabilis igitur pro scopo nostro curiosius dicitur omnis, cuius status præternaturalis atque conditio dura nos movet ad mutuam compassionem, propter fortunæ injuriam, ac qualemcumque sublevationem: sicut Imperator in b. n. l. un. loquitur. Fortunæ injuria miserabiles. Coeterum quæ personæ sint miserabiles in applicatione; pertinet ad subjectum, vid. interim Rebiffus Tr. de Sentent. provis. Art. III. Gloss. ult. à n. 2. ad 19. Quorsum pertinet & Qualificatio, sive Probatio, se talem esse.

## Th. V. Divisio:

¶. 1. Scaccis d. tr. de appell. Cap. VII. n. 128. Miserabiles dividit in Naturaliter tales; atque isthuc censem Pupillos, qui item nascuntur coeci, muti, surdi, muri: & Accidentaliter tales, ut sint Viduæ, Pauperes. Enim vero, rectius puto dicturum fuisse Nativitate, quam Naturaliter. Neque enim Natura ut talis intendit nisi quod est perfectissimum; neque nisi impedita, turbatave aut ubi aberraverit, monstra, mutilos ac similes profert.

¶. 2. In Pupillis duo attendenda, tenera ætas & parentum orbitas; prior est à Natura, posterior à casu:  
Non

Non autem separanda sunt quæ copulatim requiruntur.  
 Non ut quisque impubes, ita mox pupillus : nec ut quisque parentibus orbus, ita persona miserabilis est. Infantem parentibus orbum esse, facit quem miserabilem; sed statum hunc neutiquam habet à Natura. Nihil quo tempore nascitur, eam habet perfectionem quam consequetur, ubi maturuerit : Natura igitur, quo ipso per illam ætatum diversitatem nos deducit ad maturitatem, innuit : Nullam earam sic esse de essentia viventium, ut immutabilis sit atque fixa, & qualis quis semel existat, talis perfistere necessum habeat semper. Interim quando aliquid tale vel tale est, quamdiu est tale, necessum est, tale esse, ut inquint Metaphysici. Adeoque dum tenera ætas tam expers est consilii, ut necessum sit Regi ab aliis ; Natura supplevit hoc per Parentes ; qui quandis sunt superstites, liberi ætate sola non sunt miserabiles : Quando autem status ille naturalis, superveniente casu mortis parentum impuberibus supervenit, miserabiles esse incipiunt.

§. 3. Sumta divisio hæc videtur à causa efficienze ; Subdivisio inde nascitur, Fatò atque Casu quis evaserit miserabilis, an Factò seu Culpa cujusque suâ. Cujus vsus erit in Qualificatione ad causam ; Equis pro miserabili habendus, ad eum effectum, ut ad gratias in Jure illis propositas admittendus sit? vid. interim Scacc. n. 16. & 136.

§. 4. Deinde differunt Gradibus, ut alias magis minusve sit talis. Quæ differentia usum habebit in Concurso plarum ex eodem fundamento. Competitorum : pro decidenda quæstione : Utter alteri præren-

88 (8) 89

rendus? aut: Num unus forsan penitus præcludat reliquias? & Utrum adversus invicem eo uti queant beneficio? quo de infra. Confer interim Brunnem. h. n. 19. Scacc. n. 129.

§. 5. Alia porro divisio miserabilium personarum est, quæ quædam Habitū sunt tales, hoc est, aptitudine & potentia, licet nondum ipso actu atque statu: qua consideratione Rebussus, tr. de Sentent. provis. art. III. gl. ult. Miserabilis, quasi miserere-habilis dictus ait, qui facile misereri potest: & sic quoque pupilli & Viduæ, divites utcunque: à quibus quisque largam sibi pollicetur messem. Quædam & habitu & actu: ut Pauperes viduæ atque pupilli, mutili, muti. Carpz. lib. 2. Respons. XIX. n. 23. Et Iprud. Consist. Lib. II. def. 329. n. 10. sq. Unde configere queas divisionem aliam, in unilaterales & ambilaterales: ex simplici miseria aut copulata.

§. 6. Ultimo dividuntur personæ miserabiles in eas quæ tales quidem sunt in sensu vulgari, generali & ut sic dicam naturali; Miseri potius quædam miserabiles: & in sensu juridico ac speciali: quas Jura gratiis suis existimarent dignas: de quibus Constantinus h. n. l. un. de quibus nobis sermo erit.

Th. VI. Causa eff. ipsius statū.

§. 1. Visis usque huc præliminaribus, proprius nunc conferimus nos ad rem ipsam, consideratur illius causas: ac primò quidem efficientem. Unde hominibus tanta obvenit miseria, quæ alios etiam afficit. In cuius introductione tria videntur cooperari: à Naturali; si quis vitiosus nascatur: quorsum & suo modō impo-

35 (9)

impuberes censeri queunt, dum natura neminem gignit maturum. (b.) Fatum, seu Casus v. g. Incendium, Naufragium, Insultus Hostium : (c.) Culpa cujusque sua, seu factum proprium : si scortationibus morbum attrahat Gallicum.

§. 2. Evidem, in miseras se conjicere, Naturae ac Rationi repugnat ; ut vero non videatur simile, quenquam affore, qui se ipsum velit, ne dum efficiat miserum ; sitque adeo tertia hæc causa omittenda. Nisi quotidiana obloquerentur exempla & experientia, dum alii otio ac nihil agendo ; alii aliiquid utique sed inutile vel damnosum etiam, ludendo, bibendo pauperes ; inutiles digladiando se efficiunt : aut si quod absit, foemina mariticidio viduitatem accerferit sibi.

§. 3. Et sic modo ex inconsiderantia, modo extemeritate & malitia quidam hoc agunt ut infelices sint : alii aliud quam simulant agunt. Inter fines coniugii, Observatio rei domesticæ & mutuum est adjutorium ; cui vel ambo conjuges Argi etiam oculis praediti vix sufficiunt, nedum nullis ! certe illorum alterutro. Quando itaque variis quispiam Negotiator, sed decoctor, Medicus, sed indoctus, plurimumque professionum nihili, artibus coecam induxerat virginem ad sponsandum sibi matrimonium : Monstri aliquid atere, arguebatur non immergit : Negotium videlic, facessere Patri, Socero super pecuniis ; & eas uxore coeca consumere tanto securius, qui casus legitur apud Cothmann. vol. I.  
Resp. I. n. 367.

Th. VII. Causa eliciens atq. efficiens.

§. 1. Sed isti malorum fontes ! querenda nunc  
com

B

commiseratio. Evidem res ipsa loqui, & Status pro persona intercedere videtur, aut Pietas cuique connata eundem permovere. Multum tamen contribuere humiles laborantium sive patientium gestus atque preces, indubium est. Auris, memoriae consecrata est; Frons, genio; Digihi, Minervæ; sed Genua Misericordia. Cujac. ad tit. ff. de V. O. Tom. II. Col. 292. C.

§. 2. Atque ita quidem est, ponderatio humanæ miseriae movet quemicunque! Succurrat, sublevetque patientem! Collectæ tamen pro diversa cujusque conditione inferuntur diversæ. Vidua cujus meminerunt Marcus Evangelista XII. 42. & Luc. XXI. 2. duo æra minuta mittebat in gapophylacium. Prærogativæ præ aliis, aut certè gratiæ immeritæ proveniunt ab eo, qui Juris communis est autor. §. 6. vers. Planè I. de J. n. g. &c. Nominatum Constantino Imperatori accepta Fori beneficia ferunto! in d. l. un. C.b.n.t.

§. 3. Nec deesse pro sua conditione voluit Innocentius Papa III. permittens Viduam coram Judice ecclesiastico quem convenire super causa ecclesiastica; vel civili etiam, in defectum scil. Judicis secularis. c. Extentore II. de For. comp. Quem superare conatus est Honorius Papa, ejus nominis tertius, in c. Ex parte. 15. eod. quando Innocentius non nisi Viduæ facit accessum; nec nisi in causa ecclesiastica, atque in casum demum defectus Judicis secularis: Honorius generatim personam miserabilem permittit Laicum interdicto Unde vi, coram ecclesiastico. Judice convenire, etiam si res subtracta dicitur feudal. conf. Rosenthal. de Feud. XX. 12. n. 68. fol. 539.

§. 4.

§. 4. Licet igitur alicubi moris sit, ut Vasallus  
receptus juret, se nusquam super feudo litigaturum quam  
coram Domino vel Paribus Curia: ut in Marchia Bran-  
denburgica: Vidua tamen & miserabb. personæ, vi-  
gore dicti c. 15. suos spoliatores possunt coram ecclesia-  
stico convenire: Non obstante sua promissione. Schra-  
derus de Feud. part. X. Sect. II. n. 37.

§. 5. Num igitur & præter Imperatorem alius ali-  
quod miserabilibus impetrare poterit beneficium? seu,  
Num idem jus primæ instantiæ sumet quis alius sibi?  
nominatum: An Statutus Imperii simile quid introducent,  
ad se ut provocetur? Tantum sanè Princeps quivis in  
suo potest territorio, quantum Imperator in toto Imperio;  
atque in facto ita servari, fatetur Geilius Lib. I. Obs. I. n.  
40. ad quem provocat Scaccias, de Appellat. Qd. VI. n.  
136. Utrum tamen æquivalens beneficium id est illi quod  
dedit Constantinus? sanè, superest superius forum at-  
que generalius, Camera, Judicium Aulicum; Statuum  
judicia sunt particularia. Atenim, quæ ratio est totius  
in toto, ea partis in parte. Et, consentiente Impera-  
tore, non habet Pars adversa quo de conqueratur.

§. 6. Pergimus nos ad alios, querendo: An Ju-  
dicis arbitrio tenuis hæc dandum sit aliquid? hoc nim.  
ut casibus dubiis permittat quosdam ab se provocare  
ad Superiorem? qui, cum claram pro se non habeant li-  
teram, neque tamen adhuc manifestum quid in contra-  
rium: ex æquo itaque & bono connivebit. Atque in-  
definitè affirmat Joh. Strauchius, quondam hujus Aca-  
demia: lumen, Exerc. XXI. aph. 19. exemplò forsitan  
ductus Prætoris Romani, qui pro autoritate supplebat si-

(12)

Ientium Legis, dum non aderat quæ ex assertim obloquere-  
tur. Idem agit Scaccias d.l.n.139. fol. 77. a. provocans  
desuper ad communem Doctorum opinionem, qua de  
etiam Covarruvias testetur pract. Qq. Cap. VI. n.3. vers.  
*Relinquendum.* In iis enim personis atque causis, quæ  
sunt expressim nominata in Jure, vel commun' Dd.  
sententia, celsat Judicis arbitrium. Rebuff. Tr. de sentent.  
provis. Art. I. Gl. ult. n. 18. vers. Intellige. Tom. I. fol. 297.  
& quid opus est etiam Interpretatione, ubi prostant  
aperta Legis verba? v. Wesenb. C.b.n.2.

§. 7. Quid ergo de cassibus dubiis aget Judex,  
quem verba Constitutionum jubentire ad peritos? quod  
innumeris vicibus agit Carolus V. Imp. sanctione crimi-  
nali. Num hi ipsi beneficio Hermeneutices extensivam  
adhibebunt interpretationem? Impediri sane videban-  
tur eo, quod Gratia peculiare quid sit Principi, à cuius  
voluntate expressa expectandum habeamus, quantum  
cuique præstare malit: Et tamen Peretius C.b.n.t. n.3.  
id asserit, nominatim gratiam Viduatū extendens ad  
Virgines. Dixit, Tutiū utique fore, ad Principem  
ivisse, qui sane ab Interpretibus doceri nolit: Ipse fons  
legum! Lex viva! Atque ita sane est, in cassibus inex-  
tricabilibus, qui Imperatoria indigent decisione. De  
coetero tamen rædet eum, promiscuè inquietari.c. 33. &  
infra. de Elect. conf. Struv. S.C. Ex. II. th. 47. fin. cujus exem-  
plum vide apud eund. Ex. XIV. th. 27. Neque vero seu  
pudet Principem Consiliarios audire: seu piget Bene-  
ficia dilatare.

Th. VIII. Subjectum.

§. 1. In tanta eorum qui pro extendenda gratia  
Prin-

Principis occupantur multitudine, quos Eleemosynarios  
Principis dicere liceat, excrevit quoque numerus ex-  
pectantium, in tantum, ut catalogum desuper confi-  
re opus habeamus alphabeticum; dum nimis extendunt  
Dd. ac promiscue recensent Rebussus *Tr. de Sentent.*  
*provis. Art. III. gloss. ult. & Tr. de Appellat. Art. III. gloss.*  
*un. fol. 3. Tom. III. fol. 488. Trentacinqu. de Ref. II. n. 28.*  
*sqq. Tessaurus. Decif. 177. n. 1. & alii.*

§. 2. Suntque ordine sequentes: Captivi, Car-  
cere clausi, Claudi, Coeci, Decrepiti, quantumvis  
divites. Ecclesia. Brunnem. C. b. n. 16. & qui eisdem  
serviunt. Exiles, persecutione hostili, aut Reformato-  
rum religionis. Fugientes ad ecclesias. Furiosi, ab Ho-  
stibus capti, devastatique. Incendio desolati. Judæi  
noviter baptizati. Melancholici. Mercatores in itinere  
Gabellis gravati: an tamen & Meretrices? Minarennes.  
Morbo diurno fatigati. Muti. Mutili. Orphani: ii-  
dem tamen cum Pupillis, quos sola lingua discernit di-  
versitas: atque alteros explicat per alteros Brunnem. C.  
b. n. 1. per particulas *Idef.* Pauperes. Peregrini. Pro-  
selyti, seu noviter ad religionem nostram conversi. Pu-  
pilli, etiam emancipati, ut putat Brunnem. d. l. n. 1. Ru-  
stici. Senes: an tamen & Spurij? Studiosi: qui tamen  
forum nati peculiare ac privilegium, ut nostro non  
indigeant. Valetudinarii, diutorno fatigati morbo. Vi-  
duæ. Virgines. Maritatae, sed indefensa. Brunnem. C.  
b. n. 9.

§. 3. Quoniam tamen tam vastæ materia lustran-  
dæ, academica haud sufficit disputatio: satis habebimus,  
principaliter tractasse quas nominatim expressit Imper-  
ator

rator: Unde facile constabit ad cœteras inferendi argu-  
mentum. Primos autem nominat PUPILLOS. Qui  
quales sint, ex primis constat Juris elementis: Parenti-  
bus in ipsa impubertate orbat: ut duo concurrere oport-  
eat: Impubertatem & Orbitatem; neque sufficiat, vel  
Infantem esse, Parentes tamen habere: vel, parentes qui-  
dem non habere, ejus tamen ætatis esse, ut sibi prospic-  
cere queat. Num tertium opus sit: Tutores non ha-  
bere? Ita Paulus de Castro putavit: pro Miserabilibus cen-  
seri non posse, quibus tantâ prospectum sit sollicitudine,  
ut vel Parentibus permisum sit Tutorum datione  
Legem antevenire: & Magistratui injunctum, utrorum-  
que defectum supplere. Hi ergo, qui seu acceperunt  
nulos, seu amiserunt quocunque demum eventu, Mi-  
serabiles erunt ex mente Castrensis, *in b. n. rubr.*

§. 4. Enimvero, ex hac ejus opinione ab-  
surdum secuturum Vultejus existimat. Si enim non nisi  
indefensi, gratiâ miserabilium frui debeant, eventurum,  
ut Nunquam! Si enim nunquam relinquntur indefen-  
si, erit casus ille gratosus non dabilis. Imò vero, &  
acceptis Tutoribus sunt ac manent Orphani: stante et-  
iam tutelâ, si non actu, tamen habitu miserabiles. Carpz.  
*Lib. II. Resp. XIX. n. 5.* Nec enim suspecturi Tutores  
malis qua imminent pupillis avertendis. Imò, non  
expectandum donec thalum immineat; anteveniendum  
etiam!

§. 5. Ampliatur hoc primò, ad puberem adhuc  
tamen Minorenem; tanquam duret ad illos pristina  
gratia: Speciale tamen hoc, atque in Hispania Lege Re-  
gia receptum esse, Covarruvias *præt. qv. cap. VI. n. 2. te-*  
*sta.*

statut, ab Hilligero laudatus. D. E. Lib. XVII. Cap. XX. B.  
Ut putem: Praxin, quam usque eo extendere hoc tam  
confidenter asserit Perez. C. b. n.3. fin. restrictivè exau-  
diendam esse. Deinde extenditur ad Emancipatos, & sic  
Patre adhuc superstite. Vincent de Franchis Decis. 100.  
n.17. Barbosa. C.b. n.t. n.33. & Brunhem. C. b.n.1. Quod  
tamen, quam ad mentem fiat Constantini! aliis cen-  
sendum relinquo. Quoniam enim Emancipatio regu-  
ariter siebat bonâ mente, ac liberi de potestate quidem  
patris laxabantur, ex affectione atque cura autem pater-  
na minime expellabantur; non potuerunt Orphanis un-  
diquaque comparari!

§. 6. Sic, impugnabat quis interpositam appelle-  
tionem ex parte formalium, inter alia 3.) daß Et mi-  
serabilis & orphana persona sey/ cui in jure multiplici-  
ter indulgeatur. l. un. ubi Dd. C. Quand. Imper. int. pup.  
Afflict. Neapol. Decis. 257. Nec enim dubium est, quin  
pupilli & Orphanii inter miserabiles personas numeren-  
tur. d. l. un. verb. si contra pupillos, & in ipso Rubro eod.  
Speculator de Advocat. §. 1. n. 7. & de Instrum. edit. §.  
Num verò aliqua. n. 26. apud Wesenbec. vol. 6. Conf. 266.  
n. 4. addas, quod Orphanorum & pupillorum favor est  
maximus, quòrum commiseratio quam maximè ad ge-  
nerosa spectat pectora. Lymnae. jur. publ. Lib. VI. Cap. V.  
n. 94, ac fidei & protectioni Principum commendantur.  
Exod. XXII. 23. Esdræ I. 23. Zachar. VII. 10. apud Knipchild.  
de Civit. Imper. Lib. V. Cap. XXIV. n. 6.

§. 7. Ut vera tamen hæc sint in thesi; sic nega-  
tum fuit in hypothesi: Appellatum, pupillum esse or-  
phanumque Hodie, qui fuerit quondam; sed esse nunc

M. 2-

Majorenrem, patre utcunque orbum. Duo quippe jun-  
ctim requiruntur: Orbitas, & pupillaris artas; quæ neu-  
tiquam sint sejungenda: Orbus ille est, at non pupillus. Si  
illud sufficiat, vel quadragenarius, parentibus orbus, foret  
miserabilis. Et, quanto etiam Imperator personis mi-  
serabilibus obligetur opere: sic tamen iis in Justitia sit  
debitor, ut aliis injuriam facere non debeat. c. Extenuo-  
re. n. de Foro comp. c. Nuper. b. de Don. int. V. & II. We-  
senb. d. I. 29. col. 594.

§. 8. Volebat ampliari tertio ad casum, quo soe-  
mina minorenris interim evaserat Maritata: allegando  
post reliqua: Daß der jüngsten N. W. K. Tochter und  
ihres Ehemanns Sachen in Rechten wol gegründet /  
Erstl. weil Sie eine Wayse / und also in Reußenl. Schutz  
gehört / und die Sachen dahin zu bringen / und darüber  
Reußenl. Beschlich und Commissarien zu erlangen. l. un.  
ubi Gl. Baldus, Salicet & Dd. C. Quand. Imper. int. pup.  
sqq. Cœsaris enim Curia est commune forum. l. Roma. 33 ff.  
ad Municip. & in c. f. de For. comp. ubi & Gl. ult. & eò præser-  
tim ab inferioribus Judicibus causæ pupillares & alia-  
rum miserabilium personarum pertrahi possunt. d. l. un.  
ubi Dd. referente Welenbecio. vol. 5. Consil. 203,  
n. 90.

§. 9. Cui tamen reponitur ibidem n. 94. col. 164.  
Exceptio statu mutati, & sic cessantis causæ, ad quam  
se nunc qualificare non potest: & sic non competentis  
actionis. Sintemah! Sie numehr gleichwie ihre Schwes-  
ster Verheyrrathet / und also in potestate mariti est, ex  
more omnium gentium, Tiraquell, de LL. Connub. in  
pr. & sic, cum cesset hic ratio dicta l. un. cessat etiam  
di-

dispositio. l. quod dictum 32. ff. de Patr. l. Adigere. 6. §. quamvis. 2. ff. de jur. Patron. & ubi non datur praesuppositum, ibi cessat quoque dispositum : ubi plura Doctorum allegata. Quanquam sententia haec durior paulo, distinctione quadam temperanda videatur, quam in Viduis quoque adhibebimus. Tb. IX. §. 8. fin.

§. 10. Declaratur sententia de Pupillis Honestō matrimonio natis, ut secus sit in SP VRIIS: apud Scacciam. d. l. n. 135. Qui tamen miserabiles magis sunt ullis legitimis: dum, quem habent, nominare nequeunt patrem: & si dicas, Jura non favere peccatis; Insuper jubes aliena luere delicta. Puto itaque Exaudiendum hoc de beneficiis Juris: Naturalem pietatem negabit nemo.

## Th. IX.

§. 1. Secundas cum Imperatore in miserabilibus censemus VIDVAS: cuius vocis etymon Labeo daturus, causam dedit & homonymiz, dum nimis late quæsivit: Compositam affirmans ex VE particula separativa an privativa, qualiter dicatur Vecors, Vesanus, tanquam sine corde aut sanitate; & DVITATE, quasi quæ sit sine duitate, Solitaria. Unde Idem in l. 242. §. 3. ff. de V. s. infert: Viduam non solū eam quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem quæ virum non habuisset, appellari. Accipitur ergo aut Relative, pro ea quæ maritata aliquando fuit, mortuo superstes marito: aut Oppositive, pro ea quæ est sine Marito: præscindendo, ullum agnoverit, an nullum; ut continetur etiam VIRGO.

§. 2. Inducimur ergo præter voluntatem, prius

C

quam

quām de Viduis agamus, quāstionem expedire : Num & Virgo sit in miserabilibus ? Ratio dubitandi pro negativa est, quod neque nomine exprimatur ab Imperatore ; id quod est extra controversiam ; neque sensu comprehendatur : Nam prior illa acceptio, relativa, nō propria est; huic ergo insistendum; ad figuratam autem haud deveniendum; nisi necessitas urgeat, aut absurdum evitandum sit. Quam in sententiam eunt Geilius lib. I. Obs. 1. n. 41. Carpz. Lib. II. Resp. XIX. n. 9. ubi alios laudat ad stipulantes : atque efficiunt, ut Perezius C. b. n. t. n. 3. subdubius Judicis rem committat arbitrio.

§. 3. Purē, tamen Virginem intromittit Ioh. Strauchius Exerc. XXI. apb. 19. quod ante ipsum fecit Scaccias de Appell. Qv. VII. n. 130. sub restrictione III. ubi de Monialibus quidem ; in fine tamen laxiores ponit terminos, citra restrictionem ad Sanctimoniales ; ex illo ipso coelibatu : Quam sententiam vel capropter amplectendam puto, quod nulla necessitas illam restrictionem ad antemaritatas urgeat, nec ullum inde metuendum sit absurdum. Ita Hilligerus D. E. Lib. XVII. Cap. XX. B. p. 186, circa fin. junct. Lib. IIX. cap. XXXII. K. p. 740. atque ita etiam Franc. Vivius Neapol. Decis. 521. n. 1. Azo in summ. C. b. n. t. n. 6. Gvido, Decis. 566. n. 2. autumant : & in Regio consilio Neapolitano sāpe ita judicatum fuisse, Vincentius de Franchis, Neap. Decis. 100. n. 1. annotatum reliquit.

§. 4. Evidēt, adversus argumentum ex d. l. 242. §. 3. de V. S. desumptum, excipitur : Magis ex interpretatione seu notatione nominis, quām ex proprietate sermonis istud inferre. Carpzov. Lib. 2. Resp. XIX. n. 9. Process. Tit.

*Tit. III. Art. VI. n. 14. & de jur. fiem. sing. Decad. IX. pos. VI. n. 26.* h.e. scholasticum esse, Grammaticum, non reale. Nescio tamen, Utrum non inversim ille sermo, quo Vi-  
dua maritò orbam denotat, ex usu magis quam propri-  
etate sermonis, per synecdochem speciei pro genere,  
desumus sit. Eadem utique legis ratio, quæ pro Viduis  
allegatur, militat & pro Virginibus: Consilii nempe  
inopia, sexus imbecillitas & parentia mariti. Unde Hil-  
ligerus etiam ampliat ad Virgines puberes. Ac sanè, si  
ob bona fortuna succurrentum Viduis, Ecce non ob  
pudicitiam utrisque? ac videtur Alexander Imperator  
in l. 2. C. Si mancip. ita venier. ne profit. hic respexisse.

§. 5. Sed venimus ad id quod principaliter inten-  
dimus; Viduas. At mox patiuntur illæ controversiam  
statu: ubi sunt LOCUPLETES, an sint inter miserabi-  
les? per rationem: Quod miser haud esse videatur,  
thesauros qui possidet. Et, si quis putet, Viduas, quo  
ipso Marito defensore spoliantur, miserabiles satis esse!  
Pecuniâ tamen qui pollet, Defensorem facile invenit:  
atque ita sentiunt Marcus de Mantua, *Singul.* 34. & Ma-  
ranta §. 4. *disq. judic.* IX. n. 105. *¶* Enimvero, Amplia-  
mus nos, Viduam miserabilem esse personam, etiam Di-  
vitem. Nam, quia Vidua pauper dupli censemur lo-  
co, atque duplex habet beneficium, Viduitatis & Pauper-  
tatis; Consequens est, quod locuples unum equidem  
saltim habitura sit locum atque beneficium, neutrum  
tamen penitus excludi queat: Fac autem, Locupletes  
facile nancisci defensores: Ecquid aliud agunt, qui de-  
fensionem recipiunt, quam ut numulos earundem aucu-

( 20 )

pent ? Sunt sanè & divitiae injuriis hominum expositæ!  
Carpz. Jrprud. Consil. Lib. 2. def. 329. n. 9.

§. 6. Licet igitur Status atque actu miserabiles haud putentur ; sunt tamen tales habitu : Quam in sententiā post antiquos atque exterios, Rolandū. vol. 1. Consil. 76. n. 34. sqq. Novarium Decis. 240. Tessaurum Decis. 277. Geilum Lib. 1. Obs. 1. n. 40. ire haud dubitat Carpz. dict. Resp. XIX. n. 21. sq. Et jur. fam. sing. Decad. IX. Posit. VI. n. 29. Ratio illorum est, quia non Divitiae, tanquam accidens externum, sed status intrinsecus atque essentialis attendendus. Neque turbet quem, quod sup. in descriptione Th. IV. §. 2. diximus : Personam suppositum esse atque substantiam ; Habitum vero seu conditionem, accidens : Non posse igitur eam nunc essentialē esse statum. Distinguenda enim Essentia & Substantia. Habent & Entia per accidens essentialiam suam, v. g. Scriptura est de essentia legis Scriptæ. Strauch. Ex. V. apb. 6. med. sicut proceritas est de essentia hominis longi: licet neque Scriptura in genere sit de essentia legis, nec longitudo de essentia hominis.

§. 7. An tamen & NUPTA mulier censi censeri queat in miserabilibus ? Ratio dubitandi pro negativa militat, quia cessant & Verba legis ; quin adiungit contraria. Viduas Imperator requirit ! & Ratio, quia respectus habetur ad indefensam. At enim, si cui foemina obtrigerit Bibo, Ludio, proxima hæc via ad paupertatem est: Si inciderit in sævum atque tyrannicum, Eheu, illa est miserrima, cui nec fugere licet, & à quo defendi oportebat, affligitur maximè. Uladè Staccius d. b. n. 116. catalogo miserabilium inserere nuptam haud yetetur: positò, quod à

viro

( 21 )

viro non expectanda sit defensio. Forsan ex clausula E-  
dicti generali : Si qua alia mihi justa causa videbitur *l. i.*  
*S. 1. in f. ff. Ex quib. caus. maj.* Exemplum aliud in hac  
urbe positum habemus, in Mercenario mente capto: qui,  
quod anno superiori proximò per furorem personas aliquot  
sauciasset, cistæ nunc, in ipso hypocastu consti-  
tutæ inclusus tenetur, ubi uxor cum liberis & cœnare &  
dormire tanquam cum pecore in stabulo cogitur.

*S. 8.* Sed quid si mutato statu de viduitate trans-  
ierit ad SECUNDA VOTA, novum naœta maritum :  
Num excidet gratiâ pristinâ ? Ita videbatur ; atque ur-  
gentia in hanc rem adduxisse Caravissimum fundamenta scri-  
bit Scaccias, *d. l. n. 119.* quibus motus afferat iste, opin-  
ionem eam veram ; quam sequutus etiam videatur alle-  
gatus ibi Marchesius quispiam. Quæ tamen fuerint ar-  
gumenta illa Stringentia, haud allegat noster ille. Sa-  
nè, omnia exaudienda sunt Rebus ita stantibus, in eo-  
demque statu permanentibus : at vero, noyò conjugiò  
desit illa esse talis. Cessante ergo ratione, cessat quo-  
que dispositio. Nihilò tamen magis adstipulatur ei  
Scaccias noster, verum distinguit: Utrum re integrâ nu-  
pserit illa, an lite jam ceptâ : Sic, ut litis coram Imper-  
atore pendentia superventu novi conjugii non interrum-  
patur, nec remittenda sit causa ad Ordinarium. Id quod  
& benignius videatur nobis, & adplicandum ad casum pu-  
pilli, qui durante coram Imperatore processu pubes-  
easit. ut *suprà*, dicturos pollicebamur. *Tb. IIX. S. 9. fin.*

*S. 9.* Illa insignis inter Doctores agitatur contro-  
versia, scibui Vidua stuprari se fuerit passa, num ad beneficia  
viduarum adhuc sit admittenda ? Virum utique haud  
fuit

fuit nacta, quin mitera nunc magis atque antè, totius familiæ mariti pristini odio exposita, siuismet Cognatis despcta atque deserta ; quam, si defendere velit etiam Stuprator, non audiretur ; nec est maritus ! §. si aduersus pen. f. de Nupt. Demus, quod maritum non eluxerit : Exceptio hæc est de jure Tertiæ, & ad cognatos attinet defuncti mariti, concernens jura viduarum privata, quando lis vertitur super successione coniugum, aut portione statutaria, utrum eâ excideri? At in præfens agitur de juribus Viduarum publicis, priuilegio fori, & aliis, quæ haud perdidisse potuit intuitu alterius alijcujus. Addas, quod semel tantum peccasse, atque illum ei fuisse, post deinde ad bonos mores rediisse potuit. Atque hoc forsitan respectus fuit habitus apud Ricciūm. Decis. Neap. 521. n.5. & 6. affirmantem : qui tamen malè ob id audit apud Carpz. cùm Processu Tit. III. Art. VI. n.17. tum Jur. fam. Sing. Decad. IX. Posit. VI. n.33. tanquam tueatur partes meretricium, Hureni Patron : cuius decisum à castis mentibus, auribusque pudicis alienius repudiandum sit : autore Bernh. Græviò Lib. I. Concl. I. consider. I. n.3.

§. 10. Videtur tamen status controversiæ rite formandus, aut imò, ad Doctorum proposita diligenter attendendum : An, quæ luxuriosè atque turpiter vixerit, meretriciò more promiscuos admiserit, in honestam vitam, ein ärgerlich Leben / duxerit; malò exemplò alijs fuerit; scandalizaverit alios: an inquam talis vidua gratias miserabilium mereatur? Imò talis statim amittit privilegium suò meritò: ut referunt ac sequuntur Covarruvias pract. 2g. cap. VII. sub n.1. & quos laudat

dat alios Scaccias d.l.n. 131. An honestè de cætero vi-  
vens , ludibrio ab aliquo fuerit habita , qui forsan ma-  
trimonii spe eidem illuserit. Hat sich betrügen lassen.  
Talis enim , meretrix ob unicum illum actum dici haud  
meretur. Mali mores , qui faciunt quam indignam ,  
neutquam ex unico actu judicandi veniunt , sed con-  
tinuationem requirunt , ex l.1. & l.2. C. Que sit long.  
consu. ad hoc , ut inde animi constantia dijudicari queat.  
vid. Struv. Synt. civ. Ex. II. t. b. 20. Unde Caravius tenet ,  
quod vidua quæ olim fuit in honesta , at non tempore quo  
agit atque ad beneficia juris provocat , sit audienda &  
Vincentius de Franchis Decis. 598. Virginem de stupro  
conquerentem admittit ; eo , quod actio nata fuerit ex  
tempore delicti commissi , dum adhuc virgo esset. Scac-  
cias tamen dubitat , ob id , quod de tempore præteri-  
to præsumatur in præsens : c.3.6.9.15. de Præsum. c.8. de R.  
j.in VI. Quoniam igitur causa redit ad præsumtiones ,  
putaverim Arbitrio Judicis id relinquendum.

S. II. Illa Domitiana videtur quæstio : Num ,  
quæ se viduavit ipsam , proprium occidendo maritum ,  
digna sit privilegiis miserabilium ? quam tractat Covar-  
rav. pract. Q. q. Cap. VI. sub n. 3 fol. sed si quis in pauper-  
tatem , in fin. Nemo enim ex proprio delicto debet  
consequi præmium. Imò , talis mariticida culeò po-  
nius insuenda ac primo obvio flumini immergenda: Ut  
sic præcidatur omnis litigandi cum aliis , & ad forum  
privilegiatum extrahendi alios occasio. Sitque adeo  
quæstio hæc inter Casus non dabiles ! Forsan tamen hu-  
ius ipsius mariticidii rea postulata , potentes eoram .  
Ordinario metuit adversarios : forsan defensionem al-  
legat

legat necesseriam. Atque adeo casus provocandi dabilis quidem est: Utrum tamen & ad missibilis? Cum primis, quia Curia Suprema non tractat criminalia: alia quæstio est.

§. 12. Alia declaratio eaque commodior quadrat huc, de Viduis è statu populari: quod si enim eas quæ statū sunt eminentioris, in miserabilibus ponas, verendum est, ne assumant pro injuria. Quare, quando Comitissa de Solms, D. Johannem Heinzen Professorem Lipsiensem in prima statim instantia coram Serrissimo Saxoniae Electore ex b. n. r. provocaverat, supremus appellationum Senatus decrevit: daß diese Sache noch zur Zeit anhero nicht erwachsen. Carpzov. Lib. 2. Rep. XIX. n. 27. sqq. & Process. Tit. III. Art. VI. n. 27. Unde incidenter addere liceat, Illustres fœminas non indigere Curatore. Id. Process. Tit. V. Art. III. n. 61.

§. 13. Nec non tertia quædam declaratio succurrit, si Vidua negotium intercedat cum alio, qui utitur jure communī; ut secus sit, si adsit æqualis: juxta illud: Privilegiatus contra privilegiatum non utitur privilegiō. Quare, si unus agi velit causam coram Principe, alter coram Ordinario; posterior hic præfetur: quia, cùm privilegia mutuo conquassentur, remanet sola dispositio juris communis: quæ est, ut causa in prima instantia agatur coram Ordinario 1.8. pr. ff. de Excus. tut. Quia tamen Miserabilium sui sunt gradus, hæc ipsa declaratio declarationem patitur, ut miserabilior præponderet alteri; sic, ut Advocatus pauperum, batrociniū potius pauperi adversus pupillum locuplem debeat præstare. At, si duo privilegiati æquales

con-

25

concurrent; utrum utri præferet? num Reum, cujus  
partes videntur favorabiliores? *L. 125. de R. J.* Ca-  
ravius apud Scacciam existimat, ab Ultriusque defensio-  
ne potius abstinere debere: quod ita assumo, ut expe-  
ctet decretum Judicis: qui noverit & alteri prospicere.  
vid. Scacc. *n. 128. prolix.*

*Th. X. de Aegrotis.*

*§. 1.* Tertios Constantinus Imp. in catalogo suo  
miserabilium personarum norat *diuturno morbo* fatiga-  
tos; non præcisè Aegrotos. Evidem magnam de cœ-  
tero curam ægrotorum gerunt Jura, sic, ut qui eos non  
curant, hereditatem horum amittant, tanquam indigni.  
*L.3. ff. de his qnib. ut indign.* Item ex hac causa dominii  
servi amittitur & jus patronatus. *L.1. §.3. C. de Lat.*  
*lib. toll.* Servire enim nobis intelliguntur etiam hi quos  
curamus ægrotos; qui cupientes servire, propter ad-  
versam valetudinem impediuntur *L.4. §.5. inf. ff. de Stat.*  
*lib.* At hi miseri sunt, haud confestim tamen miserabiles;  
sed, qui diuturno morbo fatigati, patrimonium  
suum impenderunt in Medicos, ut, illa fœmina *Marc.*  
*V.26. Luc. II. 43.* Diuturnum autem reddit Gothofredus  
Sonticum in *L.10. §.ff. de Excus. tut.* ubi morbus talis  
præstat excusationem à tutela: quam ipsam assumi-  
mus in beneficiis miserabilium. Quid ergo mirum,  
si Constantinus privilegium fori superaddidit?

*§. 2.* De Aegrotis autem & Pauperibus isthoc no-  
tari meretur, quod si alimenta seu quid aliud iis præ-  
standum, non pars sortis esse debeat, sed de usuris: ut  
colligitur ex *L.3. §.1. ff. lib. pup. educ. verb.* non cumulus  
patrimonii, sed quod exhibitioni frugaliter sufficit: &

D

150.

¶ (26) ¶

I. 50. inf. verb. ex hereditariis accessionibus. ff. ad SCH. Tre-  
bell. Plura de Ægrotantibus, ac plura longè de per-  
sonis miserabilibus coeteris dicenda restant: sed, cum  
Viduæ nobis morosæ fuerint, conf. LUC. XIX. 3. sqq.  
præter voluntatem eas nunc præterire opus habemus,  
propter copiam aliæ dicendorum.

S. 3. Id unum addentes adhuc, quod sicut alias  
in Jure quicunque jus aliquod prætendunt, his objici  
solet ab adversario exceptio Qualificationis ad causam:  
Oportet ergo & qui catalogo miserabilium vult inse-  
ri, ac longè magis, qui horum aliquod illis destinato-  
rum sibi petit applicari, exprimere qualitatem misera-  
bilitatis, Nevizan. sylv. nupt. Lib. VI. n. 37. p. 575. & tum ad-  
versarii coram ipso Principe respondere, Principis exami-  
ni se subjicere, siue ibi copiam facere coguntur, Azo, in  
summ. C. ad b. n. Tit. n. 1. p. 423. Bartolus. eod. n. 2. & 3. fol. 100.  
Bl. eod. n. 2. fol. 178. Cynus, eod. pr. f. 147. Castrensis, eod. n. 3.  
f. 133. Bartholom. de Salyceto. n. 2. f. 24. Sichardus in Rubr. d.  
l. un. n. 1. f. 159. Quod tamen ultra limites veri extendunt  
aliqui, dum asserunt: Oportere v. g. Viduam ad supre-  
num tribunal provocantem docere Periculum Immi-  
nens. Constantinus sanè nihil respicit, atque indefi-  
nite loquitur. Neque opus est expectare periculum:  
Sunt viduæ si non actu, certè habitu miserabiles: conf.  
Carpz. dict. Resp. XIX. n. 3. quod Imperator quoque in-  
niuit b. n. l. un. verbò Presertim: Ut notare jubet Carpz.  
Process. Tit. III. Art. VI. n. 8. De juramento calumniae vi-  
debimus tb. sq. § 17.

Th. XI. de Objeto.

S. 1. Panis miserabilium quotidianus Lacrumæ  
sunt,

sunt; quod contrâ emittunt, Sospitia; quod expetunt, Commiseratio proximi est ac pietas christiana. Sunt autem opera misericordia tenuis hac communia, quod spontanea; differunt tamen ratione præbentium, qui aut Superiores sunt, aut concives; & hi aut singulariter exhibent, aut collegiatim: quisque pro sua conditione. Generatim sequenti expressa inveniuntur versus: Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Cendo. vid. Indio. Decret. conf. Esaja XXI. 14. & LIX. 7. Tob. I. 20. sgg. Matth. XXV. 36. sgg. Jacob. I. 27. & IV. 17. & sim. In universum sedecim personarum miserabilium privilegia recenset Rebuff. Tract. de Sentent. provis. Art. 3. gl. ult.

§. 2. Constantinus Imp. in b.n.l.un. ut diximus supra, duo proponit beneficia, tanquam Cœsareas elemosinas; quorum prius est, quod personæ miserabiles suo relinqui foro jubentur, atque extra suam provinciam evocari vetantur: idque repetierunt Compilatores Cœsarearum constitutionum atque in ipso mox Rubro, tanquam singulare quid proposuerunt. Jus nim. prima instantia, quod debeat ipsis esse salvum. Statum tamen atque vim beneficii singularis ex eo amississe, atque in jus commune commigrasse videtur, per Nov. LXXXVI. qua Justinianus in casu Judicis provincialis cessantis, Episcopum adire permittit. Enimvero, videtur primo dicta Novella de Actoribus loqui, atque gratiam illis in eodare, ut ne opus habeant, Jus extra locum domiciliū querere in locis remotis, aula videlicet, Cœsarea. Sed nostrâ l.un. Constantinus vetat actores, volentes etiam, trahere personas miserabiles tanquam reas, ad au-

D 2. lam

iam Cœsaream. Deinde , etiam si Iudex provincialis sit negligens , tamen misérabiles personæ adhuc vocari extra provinciam non possunt; per illam ipsam Nov. 86. sed Episcopum adire jubentur: atque ita confirmatur potius per eam b.n.l.un. conf. Perez. C.b.n.6.

§. 3. Istud tamen pro Actoribus militare videbatur, quod datò casu, quo Reus plura sortitur fora, habeant electionem, atque liceat eum, pro litium compendiò, confessim cōvenire ibi, quorū vel tandem causa deuentura sit. At enim, hoc ipsum Constantinus hac nostrā l. un. voluit præcavere ; atque adeò electio hōc casu potius competit Reo, propter privilegium.

§. 4. Alterum privilegium, ex adverso Miserabilibus dat facultatem, vocandi adversarios extra provinciam : cùm per Jus commune actorem sequi oporteat forum Rei ; l.f.C. Ubi in rem aet.c.5. & 8. de For. comp. & nemo ordinariax sedis examen declinare possit. per l.4. C. de Idiæ. omn. Jud. qvæ hujus nostri est Constantini : qui sibi ipsi haud erit contrarius, Atenim, Nemo legem potest dicere sibi, à qua non liceat ipsi recedere. Neque verò contraria sunt, sed subordinata, & d.l. 4. de regula, sed b.n.l.un. de exceptione accipienda.

§. 5. Ampliatur hoc privilegium I. ut licet ab initio stiterint se coram inferiore Ordinario, Sententiā tamen adversum se latā , queant adhuc dum non observatis gradibus directō adire Principem & ad ipsius tribunal appellare. Ant. Tessaur. Decif. 177. n. 8 f. 233. Menoch. A.J.Qq. Lib. II. Cas. LXVI. n. 31. Nec objici eis potest, quod stitione superiori gratiis eatenus competentibus renunciaverint : quia non assumenda in uni-

ver-

(29)

versum renunciatiō, sed pro nunc, quia est stricti ju-  
ris. Atque imo videtur Renunciare non posse, quia  
Imperator non loquitur permissive, sed dispositivē:  
arg. Rubr. C. Ne sīdej. dot. dent. vid. Nevizan. dict. Lib.  
VI.n.38 p.576. Scaccias dict. Qu.VII.Lim.XIX.n.113. & mul-  
tis sīqq.

§. 6. Verum est, ἀgrē hoc ferunt adversarii, va-  
riaque conquerunt effugia: domi quidem, Quod non  
liceat suū consilium mutare in alterius injuriām. l.74.  
sq. de R. J. neque vexari debeant sumitibus inanibus:  
quod item Princeps ita debitor sit personarum misera-  
bilium in gratia, ut ne aliis noceat quantum ad justi-  
tiā. c. Ex tenore II. de For. comp. c. Volentes. i. de Privil.  
in VI. Everh. in Loc. à Liberto ad piam causam. n. 25.  
Dan. Moller. ad part. I. Elec̄t. Const. XXIX.n.22. fol.87. a.  
Enim vero, negatum jam fuit consilium istud mutan-  
di. Sumtūs autem per compendium hoc, eundi sta-  
tim ad tribunal supremum, contrahuntur magis. Atque  
evocatur causa prout iam cepta est, & si quid mutetur  
cum adversarii jactura, hoc resarcendum. l.97. ff. de Ju.  
dic. Sic corruit & instantia ultima.

§. 7. Hac viā non succedente, de domo sumunt Ju-  
dicis Ordinarii; cui sit fiat injuria, qui seu prætereatur,  
seu à quo avocetur. At enim, Neque provocans tales  
eidem infert, quia utitur jure sibi ab Imperatore con-  
cessō. l.13. §. 1. ff. de Injur. Neque Imperator tale quid  
indulgendo: quoniam ipse fons omnis potestatis judi-  
cariæ, ac potest mensuram ponere, quantum cuique  
seu dare, seu relinquere velit. Neque aufert etiam.

(30)

quæsita, sed impedit quærenda, aut sanè limitat, non tollit.

§. 8. Ampliatur privilegium hoc II. quantum ad Variationem; ut liceat personis miserabb. non solum eligere à priori; sed & variare, à posteriori. Scacc. n. 123. fin. quin & de foro seculari transire ad ecclesiasticum. Scacc. n. 13. junct. n. 137. Perez. C. b. n. tit. in fin.. Declara: In subsidium, quando locus caret seculari Judge, & alias secularis superior non inventur; vel quando Secularis est suspectus. Socin. in c. 8. § 10. de For. comp. n. 10. & 13. fol. 256. Habet ergo simile quid cum Denunciatione ecclesiastica.

§. 9. Ampliatur III. ut locus sit huic privilegio fori tam in criminalibus quam civilibus. Franc. Vivius Lib. I. Decis. 65. n. 1. fol. 104. Trentacinqu. Tit. de Citation... Resol. 2. n. 18. f. 97. Castill. part. 3. cap. XXV. n. 20. f. 974. Menoch. dict. cas. 66. n. 34. & Barbosa in b. n. 1. un. n. 21. fol. 398. ex ratione, quoniam in d. l. un. non distinguitur inter iudicia; quod Imperator, ubi voluisse, facturus utique erat: Lege autem tacente, non oportet nos cā esse prudentiores. Declarat Mundius vol. 1. Consil. XXII. n. 34. sq. Non succurritur Minor ad hoc, ut omnino in integrum restituatur, sed bene ad hoc, ut mitius puniatur. 137. §. 1. vers. in delictis. ff. de Minor. A Etatis miseratione Judicem ad leviorem poenam movente.

§. 10. Atque eleemosynas has Imperator Constantinus, ut talis ē suo porrexit ærario. De suo nunc contribuent Judges. De quibus verum quidem cetero-quin est, quod officium non impertiant nisi implorant. Miserabilibus tamen contrā impertinent sponte, tan- quam

33

quam eleemosynam; Rebuff. Art. III. Gloss. ult. n. 24. fol.  
298. per l. 9. §. 5 ff. de Off. Pro C. l. 2. C. de Adm. Tit. Barthol.  
Socinus Reg. 197. fallent. 3. & factum sine cunctatione  
& hæsitatione supplebunt. Bened. Capra. Reg. XVII. n. 14.  
sqq. Cothman. vol. I. Resp. XL. in fin. n. 139. Amplia, in  
causis miserabilibus & piis Judex interponit officium &  
inquirit sine Accusatore. Salicetus in l. 2. C. si mancip. ita  
venier. ne profit. ubi Nevius n. 1.

§. II. Quanquam Judex alijs adstrictus est, Cau-  
fas secundūm Ordinem quō scripta sunt, expedire; in  
causis tamen miserabilium hunc servare non tenetur:  
Siquidem harum causas omnibus aliis præferre & prius  
tractare; Audientiam quoque extra Rotulum dare  
tenetur. Rebuff. d. l. n. 21. f. 292. Copiam quoque acto-  
rum ipsis interdum etiam non potentibus communica-  
re debet. Hippol. de Marsil. pract. crim. §. nunc vi-  
dendum. n. 13. f. 375. Rebuff. n. 28. f. 298. Porro quam-  
vis Juris communis ratio non permittat, ut alienorum  
Instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat;  
Qui enim accusare volunt, instructi veniunto! l. 4. C. de  
Eden. junct. l. 1. eod. Fallit tamen illud ratione perso-  
narum miserabb. utpote quibus Reus instrumenta edere  
tenetur. Rebuff. n. 22. f. 297.

§. 12. Porro hisce personis Judex Advocatum,  
sive petant, sive non, date tenetur. l. 9. §. 5. ff. de Off.  
Proc. Atque licet Clerici non debent esse forensis vel ec-  
clesiastici negotii susceptores atque executores. c. 2. de  
For. comp. tamen, cum eorum officium sit, nulli no-  
cere, omnibus autem velle prodefesse, licitum ipsis est, si  
necessitas immineat, pro personis miserabilibus postu-  
lare

( 32 )

lare c. 3. eod. junct. can. 6. dis. 36. Ex quo tx. confirmant,  
Clericos etiam compelli posse, subire tutelam miserabilium s:  
contra l. 52. & Auth. sq. Presbyteros. C. de Ep. & Cler.  
vid. Petr. Rebuff. n. 24. & 32. fol. 298. sq.

§. 13. Atque hoc quidem gratis, vel certe sumtibus de publico recipiendis. Arg. l. 28. § 2. C. de Ep. & Cler.  
ibi : gratis & sine ullo dispendio prædicta gesta confiantur. vid. Gl. in l. 1. §. 4. ff. de Postul. lit. a. Rebuff.  
n. 26. f. 198. Guid. Pap. Qv. 561. p. 910. Covarruv. cap. VI.  
n. 4. f. 383. Rolandus vol. 2. Cons. 87. n. 29. f. 314. dicit. In  
foro conscientia Advocatum peccare qui aliquid capit à  
pauperibus. all. Geil. Lib. 1. Obs. 43. n. 11.

§. 14. Hæc de Judicibus : Succedunto nunc in contributionem Partes litigantes ! Quanquam autem  
nemo adversario gladium adversus semet, sumtus inquam  
litis præbere tenetur, l. 17. ff. de Tut. & rat. disr. ac regulariter  
partes Reorum sint favorabiliores, ut nec instrumenta edere cogantur Actoribus. Actori tamen pauperi  
Reus locuples litis expensas cogitum suppeditare : per  
l. f. vers. quod si ei. verb. Tantum litis sumtus & almonia  
homini subministretur. C. de Ord. cogn. c. u. & c. 26. fin. de  
Accusat. ubi dicitur : Monachis Abbatem accusantibus,  
expensas litis necessarias de rebus seu bonis Monasterii  
ministrari debere : & hoc ideò, quia proprium non ha-  
bent. junct. c. 26. insin. eod. Et hoc quidem Franco-  
rum Regem pauperibus secum litigantibus præstare, te-  
statut Jola. Nevizan. Sylv. nupt. Lib. VI. n. 33. p. 374.

§. 15. Dicam amplius : Quod alimenta etiam  
per l. 27. §. 3. ff. de Inoff. testam. Joseph. Ludov. ab Assisi,  
Decis. 46. n. 6. fol. 131. verbis : Non solum possunt peti  
alimen-

alimenta , sed etiam impensa litis, quando litigans esset inops. Per rationem, quod alimentorum favor sit major quam litis expensarum. Cui nihil refragatur, quod modo ex l. 17. de Tut. & rat. disfr. allatum fuit; quia disponit de regula ; nos versamur in exceptione: ibi spectatur debitum ex jure civili, hic eleemosina ex pietate naturali.

§. 16. *Declaratio* equidem invenitur in l. 14. ff. ut in poss. leg. procedere id solum inter parentes atque conjuges : Si Filia, Neptis, Proneptis, Uxorve esset. Sed, uti talis casus tantò est stringentior, concurrente respectu sanguinis, parentelæ, matrimonii : juxta vulgare : Duo vincula fortius ligant; perinde atque in Vidua paupere: Sic militat tamen, altero utcunque cessante : ut suprà adfuit; quia quodlibet etiam solum sufficit, & ex alterius adminiculo maiores solum nanciscitur vires : distinguendum inter species atque gradus ; majus & minus haud variant speciem. Eādem ratione expediemus & alteram *Declarationem* : Procedere, dum pauper pro se habeat sententiam in instantia priori latam ; per d. l. 27. §. 3. verb. obtinuerat. ff. de Inoff. seß. conf. Alciat. Reg. 3. presumt. 9. num. 5. col. 683. fin. quoniam vox obtinuerat ponitur solum relativè, quod casus ita sese habeat; non decisiva, tanquam ideò demum alimenta consequatur. Quare æquitas dispositionis dicti textū jamdudum extensa fuit per Doctores, ad omnes & singulas personas cuiusque generis, de Alimentis disceptantes Joh. Ludov. ad Afisio. dicta Decis. 46. n. 3. 4. 5. fol. 131.

§. 17. Quin tantâ liberalitate Jura & Interpretes afficiuntur, ut sparsim immittant beneficia cistæ. v.g. quod mise

miserabiles personæ Principem, omissis Judicibus ordinariis, per viam simplicis Querelæ adire possint, eoque trahere adversarium, etiam non præstito juramento. Trentacinq. Lib. I. Tit. de Citat. Resol. II. fol. 115. quod referri posset supra in Qualificatione ad causam. Non item valere, Rescriptum aut privilegium contra tales personas; Nisi in iis facta sit expressa mentio miserabilium personarum. Perez. C. b. n. tit. in fin. ex Castrensi ibid. n. 3. Ad dit Rebuffus ad consuet. Regias tract. de sentent. provis. Art. 3. glof. ult. n. 29. Posse hujusmodi personas petere Restitutionem in integrum, contra sententiam in qua sunt lœsi: tanquam ex clausula Edicti generali: si qua alia iusta causa.

§. 18. Accedit, quod intuitu personarum, rebus etiam favorabilis respectus tribuatur, atque legatum ipsiis relictum, ad pias causas factum dicatur: id quod inter singularia earum privilegia allegat Rebuff. d. l. n. 35. fol. 299. jung. Everhard. Loc. argum. legal. à Libertate ad piam causam. n. 37. p. 318. Andr. Tiraquell. tr. de Privileg. Pie causa, in prefat. pr. fol. 442. Ex quo porro consequitur: Omnes favores, qui præstantur piæ causæ, præstari quoque miserabili personis. Atque concluderemus hanc thesin, nisi post personas singulas, integræ Societates in eandem inclinare pietatem comparerent. Videlicet quondam prospiciendo suis, Fisco in id constitutis Witwen-Fiscum, quo de Carpzov. Iprud. Consist. Lib. II. d. 329.

### Th. XII. de Forma.

§. 1. Vitis tam personis quam beneficiis, at paulo prolixius; paucioribus expediemus nos in cœteris. Atque quam-

35

quantum ad rationem pertinet formalem: quoniam actus  
pietatis certum præsupponunt personarum statum; o-  
portebit quoque partem gratiæ hinc laturum, ad eundem  
se qualificare, dum ipsi regulariter opponitur exceptio  
inabilitatis. Id quod argumentum *suprà tetigimus in*  
*Subjecto Tb. IX. §. 9.* nec dicere enim sufficit, sed oportet  
probare, inquit Mascalus *de Prob. vol. 2. Concl. 1064.*

§. 2. Ratio formalis beneficiorum erga personas  
miserabiles, est, quod proficiuntur ex pietate; qua de  
plura possemus adferre, si ratio disputationis academicæ  
& nostri instituti pateretur: & sic ex jure naturali, quod  
animus requirit pronum, liberum, non coactum. Ni-  
si quando Civitas peculiarem desuper instituit conven-  
tionem, atque ærarium, Alnösen-Rasten/ aut certa so-  
cetas Fiscum vidualem certis fundavit legibus.

§. 3. Ipsorum autem beneficiorum atque gratia-  
rum natura & proprietas quedam est *Communicabilitas*  
ac *Transmissio*: potissimum in *Heredes*; ut est Semestre  
gratiosum Sacerdotale, das halbe Gnaden-Jahr der  
Priester: quo de prolixe agit Carpz. *Iprud. Consist. Lib.*  
*i. Tit. XII. à def. 183. ad 230.* Circa quam circumstanti-  
am *distinguendum* videtur, *An* persona miserabilis relin-  
quat heredes, ad quos indubie transmittit beneficia se-  
mel quæsita; sic, ut post illius excessum pars adversa-  
non possit causam in Consistorio Principis semel rece-  
ptam revocare ad Ordinarium. *An* ipsa persona miser-  
abilis existat alicui heres, qui non est privilegiatus; Et  
sunt qui putant: Talem heredem sui intuitu posse pro-  
cessum interrompere & causam ad Principem trahere,  
ut Menoch. *dict. Cof. LXVI. n. 38.* Sed Scaccias *num. 135.*

(36)

distinguit : Utrum causa jam tum coram inferiore fuerit  
cepta ; ut ibi porro continuetur , sic , ut Heres Clericus  
instantiam continuare teneatur coram Judice Laico : si-  
militer Fiscus si sit heres, debeat prosequi judicium co-  
ram Judice defuncti. Surdus Lib. 2. Cons. 222. n. 9. sq. &  
n. 18. quia non solum sit successor bonorum, sed etiam  
personæ : quam sententiam Covarruvias pract. Q. q. Cap.  
IIX. n. 2. sq. dicit veriorem.

§. 4. Ampliat hoc Scaccias n. 122. de Litis con-  
sortibus non privilegiatis : plures allegans Autores. Enim  
vero, autoritas absque ratione sapit tyrannidem. Sicut  
autem restitutio ex capite minoris ætatis non confestim  
prodest socio vel consorti litis Majori. Lun. C. si in comm.  
eademque causâ ita & hîc. Declarandum ergo : Si causa fu-  
erit connexa atque individua. l. 47. §. 1. circa fin. l. 29. §. 1.  
ff. de Min. b. Dn. Struv. S. C. Ex. IIX. lib. 60. fin. Heig. part. 2.  
Qu. XIX. n. 42. sq.

§. 5. Num vero transibit in Mandatarium ? di-  
stinguit Idem Scacc. n. 123. declaratione secunda ; ut, quando  
judicium substantiatur in persona principali non misera-  
bili, non muretur quoque judicium , licet interveniat  
persona miserabilis. Sin judicium substantietur in per-  
sona miserabili , non attendatur, si mandatarius non sit  
persona privilegiata. Nee enim ad Mandatarium respi-  
ciendum : alioquin in fraudem legis posset quilibet sub-  
ordinare mandatarium privilegium. Par ratio est & in  
Cessione : est enim Cessonarius procurator quidem, for-  
maliter, sed in rem suam , & sic in effectu principalis :  
possuntque ad eis qualibet exceptiones opponi, qua-  
& ipsius principali : quod facile declinare quis posset ,  
ceden-

cedendo causam privilegiatis. *Distinguunt* tamen, lucrativo quis nactus fuerit titulo jus alterius, an oneroso: priori casu negant, posteriori affirmant. Melius videntur *distinguere* Bonā an Mala fide factum fuerit. v. Scacc. num. 133. vers. contra. Perez. d. n. 5.

§. 6. Sed quid si persona miserabilis laudetur ut *Autor*, eique lis denuncietur; si sponte interveniat; Num & tunc causam revocabit ad forum privilegium? Negandum videtur, quia non suam hodie causam agit, nec periculum metuit. vers. 43. j. l. 49. ff. de *Judic.* Scac- cias n. 123, ubi duas habet rationes.

### Th. XIII. de Effectu atq. Usu.

§. 1. Effectus beneficiorum miserabilibus præstitorum alius diffundit se in miserios; dum per compendia multiplicium instantiarum, prout in una eademque causa tertiam vice appellare, sexies, septies aut octies leuterare licet, ut calculum ducit Carpzov. *jur. fam. sing. Decad. IX. Post. VI. n. 7. fol. 593.* mox primo introitu Principis illis patet Consistorium, innumeris supersederunt queunt sportulis, & primò forsè obtinent anno, quod alias vix evenerit decenniò: Alterum emolumenatum est Securitas à Judicū vel adversariorum potentiorum concussionibus. *Ex parte Reip.* effectus est, quod cursus Justitiae tenus hac non impeditur sed promovetur.

§. 2. Usum hujus beneficii apud Exteros, Gallos, Hispanos, ostendit Vultejus apud Carpzov. d.l.n. 14. In Galliis pauperi litiganti Advocatum Regiis sumptibus conductum dari, ex aliis refert Surdus Qu. XX. n. 16. fol. 169. In Parlamento Parisiensi unum Advocatum stipendiatum pro pauperibus haberi, notat Boërius *Decis. 325. n. 2. f. 686.*

( 38 )

Idemque in Curia Parlamenti Delphinalis servari , testis est Gvid. Pap. *Qv. 56.* In nostris Cancellariis & Prætoriis , inquit Covarruvias, constituti sunt Advocati & Procuratores, qui publico stipendiō accepto , gratis ipsis pauperibus patrocinentur. Ipse pergit, memoria teneo , semel in hoc Granatensi prætorio Judicum interlocutione coactum Reum alimenta dare ad certam usque quantitatem actori , qui fratris intestati hereditatem petebat, quique nondum aliquam sententiam insui favorem obtinuerat. *Cap. VII. n. 6. f. 384.* & Afflitus *Decis. XI.* dicit : Bis ita fuisse decisum in magna Regni Neapolitani curia : atque sic servari in Francia, dicit *Rebusfus art. I. concl. 2. f. 249. n. 5. & 6.* consentit Joseph. Luyd. ab Assio. *Decis. 46. n. 7. f. 131.*

§. 3. Contrà, in usibus horum beneficiorum, Non tam Reipublicæ malè fundatae, ponit in pluralitate personar. miserabb. Carpzov. *Lb. 2. Jprud. Confst. d. 330. pr.*

#### Th. XIV. Contraria.

§. 1. Deficit hoc beneficium à priori, aut definit à posteriori ; seu ex conditione causæ, seu ipsius personæ, idque aut facto proprio, aut aliunde. Sic deficit in Cameralibus , sive , quando miseribili negotium est cum Fisco ; Nam causæ Fiscales tantum apud Procuratorem Cæsaris vel ejus Rationalem disceptantur, *I. 1. 2. & 5. C. ubi caus. Fisc.* cùm, quia à Fisco non metuenda concussi- tum, quia Fiscus pertinet ad Principem ; iretur E. ab eodem ad eundem : tum denique quia in Principem non cadit suspicio. v. *Scaccias. n. 134.*

§. 2. Fal.

§. 2. Fallit quoque in Statibus Imperii, qui præteriri se , & ad Imperatorem rectâ iri haud permittunt: quia quilibet Status est in suo territorio Supremus. Geilius *Lib. I. Obs. I. n. 40.* Carpzov. *Lib. II. Resp. XIX. n. 14.* & Process. *Tit. III. Art. VI. n. 9.* Scaccias. *n. 136.* Nisi in causis protractæ aut denegatae Justitiæ. Knipschild. *Lib. II. Cap. XXXIII. n. 91. fol. 619. a.* E contrâ verò, Causas viduarum etiam illustrium, rejectis exceptionibus der Austrac-  
ge / in Camera fuisse recepras, binis præjudicis docet Rulandus de *Commissar. part. IV. Lib. II. Cap. IV. num. 62.* Theod. Nicolai. *dissert. de For. comp. Conclus. IV. in fin.* quanquam & casum negati allegat: & sic Ponendi ter-  
mini habiles!

§. 3. Ad personæ conditionem pertinet, si qua-  
sit illustris atque eminentis conditionis: ut suprâ de Co-  
mitissa Solmensi adfuit: aut si qua alia nequeat se ad sta-  
tum miserabilium qualificare: Id quod inter alia con-  
tingit factâ ipsius personæ: seu explicitâ & ad hoc ipsum  
directo, ut Renunciatione: quæ ipsa tamen vocatur in  
dubium, an sit in permisis? pro Affirmativa facit, quod  
juri pro se introducto quilibet renunciare queat, cum  
beneficia invitis non obtrudantur *l. 46. in f. ff. de Pact. l.*  
*41. ff. de Min.* Pro Negativa, quod beneficium hoc de-  
tur cause, non personæ; at verò, Nemo efficere potest  
quod minus sit miserabilis; alioquin si per eum staret,  
sanè gratis foret indignus: ita nec in sua manu est, be-  
neficia repudiare. Deinde, quia miserabiles in ea sunt  
conditione, ut facile patientur se induci ad renuncian-  
dum, acceptâ etiam modicâ: Tollereturque adeò sic  
miserabiles.

❀ (40) ❀

misericordia. Tertio, quia privilegium hōc originem suam habet à Jure divino , quod proximo cuique commendavit Viduas. Denique , quia nec Clerici queunt suo renunciare foro. Privatio præsupponit habitum, quod E. ab aliquo non proficiscitur , hoc nequit ille impeditre. &c. Concludit Jo. Oldendorpius *in Tr. de jur. singular. Tit. de Person. miserabb. n. 3. §. ult.* inquiens : Doctores negativam tenentes , errare non posse : quia Naturæ accedant : Estote misericordes !

§. 4. Factum consecutivum est , quando tale quid agimus , unde beneficiis excidimus , licet directè id non intenderimus : nam , qui vult antecedens , vult etiam consequens : quæ doctrina foret subiecti negativi : quod quia suò jam locò tradidimus , meritò hic subsistimus. Sunto DEO gratiæ atque laus perpetua !



**ULB Halle**  
006 366 333

3



vol 18



inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

## Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	B.I.G.
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------	--------

9  
1703  
J. J.  
DISPUTATIO JURI  
DE  
**PRIVILEGIIS**  
RABILIUM PERSONA  
RATIONE FO

*Intuitu Tit. C. Quando Imp. inter p.  
quam auxiliante DE  
elaboravit, &*

*Rectore Acad. Jen. Magn  
Serenissimo Principe juve*

**DN. GUILIELMO H**  
Sax. Jul. Cliv. Mont.  
VVestph. Duce,  
*SUB PRÆSIDIO*

**Dn. ADRIANI BE**  
Pand. PP. Cur. provinc. Facu  
Scab. Assessoris

*amicæ Dnn. Commilitonum venti  
d. Martii 1703. proposuit*

**JOH. DANIEL LOEPER. Star**  
A. & R.

JENÆ, Literis MULLERIANI